

8/

RECTOR  
ACADEMIAE VITENBERGENSIS  
**CHRISTIANVS**  
**HANACCIVS**

IVRECONSULTVS  
DIGESTI VETERIS PROFESSOR PVBLICVS  
ORDINARIVS CVRIAE PROVINCIALIS  
SCABINATVS ATQVE ORDINIS IVRIDICI  
ASSESSOR EIVSDEMQUE  
H. T. DECANVS

*CIVIBVS ACADEMICIS*  
S P D



RECTOR  
ACADEMIAE VITIMBERGENSIS  
CHRISTIANVS  
HANAUERIVS  
IVRCONSULTVS  
DIGESTIVVS ET PROFESSOR PVBLICVS  
ORDINARIVS CATHEDRAE PVBLICAE  
SCIENTIAE ATQVE ORDINIS IVRIS  
ASSESSOR ELECTORIS  
H. T. DECAVS  
CIVIS AC ACADEMICVS



DE  
ANGELIS PROVINCIARVM

P. V.

**R**ursus in arma meam uerto coelestia mentem,  
Ut genios laudem, regionum forte suarum  
Praesidium, magni ductores agminis altos.  
Hi uigilant agiles, ne coetus, sanguine  
Christi

Collectus, capiat scelerata fraude tyranni  
Damnum tartarei, sed firma pace fruatur.

Post his continuas cumulat res publica curas,

Otia seu populi traducunt foedere certo,

Siue furit subito tempestas horrida motu,

Imbribus ut densis ruere omnia tuta putentur,

):( 2

Tyr-

Tyrrhenaque tubae mugire per aethera murmur.  
Praecipuis feruant opibus solatia gentis,  
Reges atque duces, claros uirtutis honore,  
Quos pietas ornat, quos sedula iuris et aequi  
Occupat intentos studiis reuerentia pulchris,  
Citiibus ut statuunt exemplar nobile recti.  
Ast hos mille premunt casus, discrimina rerum  
Ardua, dum gnauī popularia commoda quaerunt,  
Hostibus impatiens gliscit uiolentia multis,  
Contemptaque fide strictissima uincula rumpit.  
Nullis laesa malis capit arma, nec ante uolunt  
Pectore, quae turbae, quae non praecuisa sequantur  
Damna, quot innocui ciues perferre labores  
Cogantur, quoties agitat discordia regum  
Orbem, uipereo crines innexa cruore.  
Achasi ludam suboles pietate gubernat  
Felici, atque duces reliquos supereminet omnes.  
Nam prisca populum sub religione tuetur,  
Non, quod principibus uesana superbia multis  
Inspirat, nihil ille Deum, diuinaque curat.  
Quin censura suis uita est sanctissima regis.  
Rura domi florent nunc terque quaterque beata,  
Nec rapit externos bellandi dira cupido.

Solas

Solus at Assyrius furialia concutit arma,  
Quod genus inuolidum crudelia frena recusat,  
Et festum imperii, detrectat ferre tributum.  
Tam petulans poscit meritas audacia poenas.  
Barbarus indomitam commotus surgit in iram,  
Attollitque animos turgens, totaque uagatur  
Terra, quo horribili paueat Iudaea tumultu.  
Assur iussa tenet mox regia saeuus in armis,  
Conglomeratque manum, gaudentem Marte feroci,  
Inuitant quam nectar apum lactisque fluenta.  
Quales cum strepitu uolitant ingente frequentes  
Muscarum populi, cingentes pinguia septa,  
Veris amoena dies terrae cum reddit honorem,  
Vasque compressum pastoribus irrigat uber.  
Tali nunc Asiae quatiuntur murmure fines,  
Innumeraeque ruunt equitum peditumque cateruae,  
Quorum sub pedibus tellus onerata remugit.  
Expoliant tot prata cibus, et flumina siccant,  
Ductoresque auro dubitant ostroque decori,  
Quo confusa ferat se longius ordine turba.  
Tandem signa procul dant, ut statione sequatur  
Quisque sua, ac figunt hastas tellure micantes.  
Dirigitur strepitans acies clamore tribuni,

Vt pastor pecudes abducit rite locatas,  
Quas uiridi pauit recubans in ualle solutas.  
O Iudaea time, tantis obsistere turmis  
Num poteris, tantam sospes num pellere stragem.  
Hostis quanta iacit uerborum fulmina praeceps,  
Stultitiaque petit coelum uenerabile quanta.  
Spes confisa Deo nimium frustratur inertem.  
Quis populus superos flexit, ne uinceret Assur.  
An Samaria iugis audet subducere colla.  
Mendax decipiat cur te fiducia regis,  
Subsidio miseris uenturum numen auitum,  
Ne Solymis iamiam potiatur mascula uirtus.  
Tu prius oblatam pacem ueniamque rogato,  
Dum locus est precibus, nec mens exaestuauit ira.  
At genus Hebraeum taciturna silentia praestat,  
Obsequiumque suo regi, meliora docenti.  
Nouit enim monitum longinqui temporis usu,  
Nil referre Dei, numerosum confluat agmen,  
An contempta manus rebus det surgere lapsis.  
Ipse tamen princeps quatitur terrore supremo,  
Squallentemque situ uestem pro murice sumit.  
Ingreditur templum, uideat quo denique finem  
Horrendi sceleris, quod, coeco fusa furore,

Euo-




Euomit in numen stolidae conuicia linguae.  
Non finit ire preces in cassum rector olympi,  
Suppliciisque suum iustis defendit honorem.  
Aduocat aligerum coeli de millibus unum,  
Qui uigil obseruat Iudaei culmina regni.  
Vade, age, uulnifico pugnax tu cingere ferro,  
Atque globum, furis effrenem, dislice totum.  
Nec mora, iussa Dei tacitus facit ille minister.  
Nox tegit obscura fessas caligine terras,  
Ac lentum capiunt hostilia corpora somnum.  
Ecquis enim feruor uastam turbaret opum uim.  
Sed uigilat rabidae uindex Rhamnusia noxae,  
Fulmineusque nitet gladius, spumatque cruore,  
Herois ualidi, qui coelo mittitur alto.  
Ceu lupus insidias pecudi molitur opimae,  
Nocte super media, stimulatus gutture sicco.  
Irruit in teneros confestim Martius agnos,  
Saeuit et in matres, miseratas funera prolis.  
Lanigeri fugiunt reliqui per prata, per imas  
Valles, quo celerant tremula formidine cursum.  
Haud aliter dat terga fugae prius effera uirtus,  
Cum uidet ingentem pestem, dum mortis imago  
Plurima perterret. Rex improbus ipse salutem  
Quaerit

Quaerit, at immani suboli truncatur ad aras.  
Tanta potest aulae solus coelestis alumnus,  
Quid non efficiet, Iesu, tua dextra, benigne,  
Nos igitur numen uotis precibusque uocamus  
Grande tuum, et sanctis pia munera ponimus aris,  
Qui regis imperio uolucres sine corpore mentes,  
Qui facis, ut subito sileant fugiantque procellae,  
Instat cum trepidis ratibus praeruptus aquae mons,  
Nomine quique tuo decoras iuga celsa Sionis,  
Affer terribili placidus solatia bello,  
Affer uastatis solatia funditus aruis.  
Edeni similem faciat pax aurea rursus  
Saxoniam, rursus uireat quo ruta salubris.  
Tristitiam pellent hilari tunc gaudia plausu,  
Altisonosque canent dignis cum gratibus hymnos.

P. P.

## FESTO MICHAELIS DIE

MDCCLXI



VITENBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDII

ACADEMIAE A TYPIS

ULB Halle  
002 671 204

3




A-70

B18







8

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
CHRISTIANVS  
IANACCIVS  
IVRECONSULTVS  
ETI VETERIS PROFESSOR PVBLICVS  
NARIVS CVRIAЕ PROVINCIALIS  
ABINATVS ATQVE ORDINIS IVRIDICI  
ASSESSOR EIVSDEMQUE  
H. T. DECANVS  
CIVIBVS ACADEMICIS  
S. P. D.

